








2817/A
G. V. Ges



PRESTANTIORA, AC DVdum modo experta contra pestem aliqua remedia, ex antiquissimis medicis, summa diligentia Reuerendissimo, ac Illustrissimo Principi, Domino, Domino Ernesto Confirmato in Archiepiscopum, Ecclesiæ Metropolitanæ Saltzpurgensis, Sedisq; Apostolicæ Legato, Comiti pallatino Rheni, ac superioris, et inferioris Bauariæ duci, per Ioannem Geslerum Angelipolitanum Artium, & Medicinæ Doctorem, excerpta.

M. D. XLIIII.



AD LECTOREM
Epigramma.

Noxia commotus terris quum mittit Apollo
Tela, nec insonti parcit amara lues,
Non honor, aut fasces, non forma, aut stemmata quicq̃.
Nec genus, imo haud res diuitis ulla ualet,
Nec sæuam uires uellant e corpore pestem,
Nil plenus nitido sacculus ære iuuat,
Obserues igitur fidum, si forte sit usus,
Et doctum medicum, qui ferat artis opem,
Infectis phœbi radijs contagia dira
Tollat, & ignito qui hulcere membra leuet,
Quiq; salutifera fatum intercludere dextra,
Et subitum mortis uertere norit iter,
Huius (crede mihi) gratus si utare Libelli
Consilio, lœtus ac mage tutus eris
Corporis hic seruat robur, lapsumq; reducit,
Corriget hic, si quid accidat atq; mali,

Reueren-

REVERENDISSI-
mo, Ac Illustrissimo Principi, Domino, Domino Ernesto confirmato in Archiepiscopum Ecclesię Metropolitanę Saltzpurgensis, sedisq; Apostolicę Legato, Comiti Pallatino Rheni, ac superioris, et inferioris Bauarię duci, Ioannes Gessler Angelipolitanus, Artium & Medicinę Doctor, Domino suo gratiosissimo. S. D.

REuerendissime, Ac Illustrissime Princeps, reuerentiæ tuę, ac reipublicę consulturus, pauca aliqua congessi, De ualetudine (hoc pestilitatis tempore) tuenda. Quamuis animus timore correptus, Ne mihi contingat, quod Diuo Augustino accidisse dicunt, Versabatur nãq; quondam diuus Augustinus iuxta mare, depræhenditq; ibidem puerum qui prope se habebat foueam, Conabatur namq; immensum mare cochleari exhaurirę, Admiratus Augustinus pueri futilem laborem, Interrogans ut quid ille labor, Respondens puer, se mare in foueam redu-

ctum, Augustinus subridens, ac increpans pueri cœpta. Inquiens eum in arenã edificare, Clanculum puer respondens, ita & tu (trinitatem contemplans) Augustine facis, cum eam rem misticam calamo comprehendere conaris, Vereor itaq; Reuerendissime, ac Illustrissime Princeps, ne uidear aliquibus idem fecisse, scilicet rem arduam, preseruationes contra pestẽ traditurus ac difficillimã, illotis manibus adijsse. Verum quidem nisi in ipsius opusculi fronte, ingenue professus fuissem, Hunc meum laborem non mei esse ingenioli, sed passim ex antiquissimis medicis excerpta, accipe igitur Reuerẽdissime, ac Illustrissime Princeps, has inconcinnas nostras in pestem ex uarijs auctoribus cõgestas preseruationes, tuo nomini nuncupatas, accipe eas rogo hilari fronte, ut p illas Nestoreos annos uiuere possis. Actũ Saltzpurgæ, decimo octauo Ianuarij Anno à Christo nato, millessimo, quingentesimo, quadragesimo quarto.

Opusculi

OPVSCVLI IN tres partes diuisio.

Quo omnia quę in hoc nostro opusculo, aduersus pestem continentur, inuentu sint faciliora. Ipsum in tres partes secuimus. Prima est de tuenda ualetudine. Secunda, Corpus lapsum in pristinam sanitatem ducit, Capitulo de medicinis peste prehensis. Tertia est accidentium correctio, Capitulo de pestilētis febris accidētibus.

PRIMA OPVSCVli pars Obseruatio aëris. Cap. I.



VI PESTIFERO hoc tempore, diuinę culturę, aut aliis sęcularib⁹ negotiis astricti unde, uenefico aëre uti cogūtur, Inprimis caueant, ne in aëre nubiloso diutius uersentur, aut quouis modo corpus aggrauent, unde la-

boret, ubi uero modo sol terram illustra-
rit, iam cum minori periculo, intima cor-
dis conceptacula ueneficum aerem hau-
rient, eoque tunc tempore, quam maxime
curandum, uti habitationis aura, omni
tempore pura conseruetur. Quare spiracu
la habitationis tue pateant, cum uenti ab
oriente, septētrioneque flatum miserint, no
ctu iterum, & Meridie omnia diligenter
sint obstructa, & ut conuenientissimum
in pestilentia habitandi locum eligas;
cum illustrioribus Medicis teneo, in om-
ni pestilentia excelsum locum incolen-
dum, non minus etiam conducit nullum
peste laborantem domi retinere, alioquin
domus duplici ueneno afficitur, ut puta,
aura nos circumdante, & habitu ægri pe-
stifero. Preterea odores qui aeris ueneno-
sitatem corrigunt, maxime subueniunt,
ne domestici aeris corruptio contingat, si
modo recta temporis ratione habita, ho-
rum usus accomodatus fuerit. Nam con-
traria contrarijs curantur, ut, aeris cor-
ruptio si ad calidum declinet, ignis in-
censio

censio nihil proderit, aerem enim reddit subtilem, rarum, atq; impressioni uenefi-cę aptiorem, ut leuius ueneno uinca-tur, eodem modo si frigore magno, ue-neficum malum augeatur, frigida re-media damnum adferunt, Pestilitatis igitur tempore feruentissimo ad ea Me-dicamina fugiendum, quæ calorem mi-tigant, Infrigidant, Inflammandi uim frangunt. Talia sunt, Rosa, Viola, Nym-phea, Salicis, Myrthi, Maligranati, Et Citoniorum folia, Hę herbę cum exsic-catę fuerint, atq; eas per habitationis so-lum, perq; scamna dispergere uolueris, bonum est illas aqua Rosacea aceto mix-ta, immergi, Aceti quantitas ad aquæ Rosaceę non datur, nisi secundum quôd maiorem uel minorem siccitatem uo-lueris. Tum illud te meminisse uolo, multum conducere, singulos per ue-neficos dies, faciem, manusq;, Aqua Rosacea pauxillo aceto perfusa, frequēter abstergere, deniq; diuersa odoramentorū

genera, quibus uenenum abigitur silentio nequaquam pretereunda, Quibus igitur infœlicior est fortuna, talibus utile est spõgiã aceto & aqua Rosacea madefactã Odoramẽti loco gestare, frequẽterque odorare, At quib⁹ fortuna fęlicior, sequentem pomi odori descriptionẽ ꝓcurẽt, Recipe Ladani, Terbentine sepe numero Lotę, ultimo cum aqua Rosacea añ, dra. i. Sandalorũ omniũ, Rosarum rub. uiolarũ Foliorũ Myrthi, Corticum granatorum, Gariophilorum, Croci, Corticum citri, Florum Nymphee ana. scrup. i. Ligni aloes, Nucis muscatę, Macis ana. gran. vij. Cãphorę gran. v. Musci dissoluti in aqua rosacea gran. v. Pulverisanda puluerisentur & in mortario cum pistillo calido incorporentur & fiat pomum, uerum ad frigoris excessum si ueneficus aër tendat, mox calidis odoribus subueniendum. Habitatio itaque tua flosculis calida ui pollentibus, obsternatur, Huius generis sunt Maiorana, Ocymum Gariophilatũ, Menta, Mellissa, Calamentum, Rosmarinus, Folia citri, et fructus eius, Nã pomũ Citri, infectã

auram

aurã purificat, deniq; non minus cõducet suffimẽta odora carbonib. ignitis apponi Qualia sunt Styrax calamita, Alipta muscata, Gallia muscata, uel si magis libet compositis uti, eo modo ut sequitur admodum amicabilem habes suffitum, Recipe ligni aloes drag. 2. Bensui, Styracis calamite an. unc. 1. Gariophilorum, Macis, Nucis muscate an. drag. ſ. Sandolorum citrinorum, Ligni Cipressi an. drag. ſ. Musci grã. 5. Puluerisanda puluerisentur & seruetur, Egestate uero laborantes, solo Thure non sine magna utilitate habitationem suffumigabunt, deniq; Trochisci quos uulgo usiletos appellitant, hac descriptione conficiantur, inuranturq;, nam præciosos inuenies, Recipe Ladani unc. 1. Styracis calamite drag. 6. Asedulcis dra. 3. Thimiane unc. 1. Thuris Charabe an. dra. 2. Alipte muscate, Gallie muscate an. drag. 1. Gariophilorum, ligni aloes an. scrup. ij. ſ. Carbonũ tilie quartã 1. fiãt. Cũ Styrace liquida, & infusione gummi arabici formulę oblongæ, triangulę, subtiles,

 ueluti

ueluti Candele, at qui domi se retinere nõ possunt, sed coguntur in aere uersari ue- nefico, aut ægros uisitare, sequentem odo ram spheram comparent, Recipe Ladani quartam unam, Aliptę muscatę, Gallię muscatę, Styracis calamitę an. dra. ij. Asæ dulcis drag. i. Zedoarię Gariophilorum, Galange Cinamomi an. scrup. ij. s. Lig- ni aloes drag. s. Sandalorum alborum & Citrinorum an. gran. xv. Rosmarini, Ro sarum Spicenardi, Sticados arabici, Ocy- mi an. drag. i. Macis scrup. i. Camphorę gran. xv. Muschi, Ambrę an. scrup. i. Mu scum dissoluatur in uino odorifero, Pul- uerisanda puluerisentur, Conficiatur ex eis cum pistillo calido in mortario pila, li- getur in sindone rubra, Non minus enim illa est approbata pila, quã quæ sequitur. Recipe ladani drag. iij. Styracis calamitę, Bensui an. drag. ij. Rosarum rub. Corti- cum citri an. scru. ij. & gran. v. Radicum ciperi, Angelicę, Zedoarię, Galangę, an. gran. viij. Cinamomi Nucis muscatę Ma cis an. gran. v. Gariophilorum Spicenar- di an. gran. ij. Sandalorum omnium ligni

aloes

aloes an. grana. viij. Se. citri Basiliconis, Maiorane an. gran. x. Florum anthos, Lauendulę an. gran. x. Florum Borraginis, Buglosse, an. gran. v. Camphore gran. ij. Ambrę, Musci an. gran. iij. Cum Gallia muscata & Styrace liquida, & modica cera fiat pomum, Aromatisetur in fine cum musco in uino odorifero dissoluto. De gēmis aureis annulis inclusis minime tacendum Rubinus portantem nobili ui communit Sapphirus & ab anthracę & febrę pestilētiali liberat, Idem Hyacinthus prę stare creditur. Vt tandē receptui canam, paucis conseruādc aeris salubritatem proram & pupim accipe, In omni Lęthifero aereo distemperamento, Aer ad siccitatē & frigiditatem ductus sanitati subuenit, Quoniam sole hæ qualitates putrefactionem non admittunt.

DE VICTVS RATIone, qua uenefici morbi tempore sanitas conseruatur. Cap. II.

Sicuti

SIcuti omni tempore, tum bonum, tũ necessarium, bonam habere uictus rationem, ita in hoc morbo non tantum necessarium sed minime negligendum. Homines uero cum hoc tempore, crapule sint dediti, unde auidius omnia deglutiant, Consultum mihi fore uidetur, si qualis cibus, potusq́, in usum deligẽdus sit, paucis aperiam, Corpora igitur die bis sunt nutrienda, hac lege, ut prandia non dolentibus caput sint breuiuscula, Cenæ largiores, eo modo ut uentrem nec expleas, stomacho nihil appetente, Ea propter nihil cibi assumendum nisi uera stomachi concoctione completa, quę hisce deprehenditur inditijs, cum aluus ex assumpto cibo flatuum nihil habet, nec uentriculus acidi quicq́ eructat, tum uentriculi cõpletam habes coctionem, atq́ cibus diutius minime subtrahendus, summendumq́ prius quod concoctu facilius, Nauseatiua satietas fugienda, nã quemadmodum illa obest, ita sanitati conducit, leuiusculo desiderio abstinere, subsequẽter de his quę quottidiano usui sunt necessaria, Panis sit albissimus,

bissimus, leuis, ex optimo frumento, ab omni surfure expurgatus, duorũ aut trium dierum, multum tamen in hac re tribuendum est consuetudini, ex carnibus contemnantur aues aquaticę, & caro suilla. Optimum nutrimentũ exhibent, thurdus, Phasianus, omnia siluestrium gallorum genera, perdices, Alaudæ, Auiculę omnes siluestres, ex quadrupedibus, Ceruus, Lepus iuuenis. Ex domesticis et Auibus & Quadrupedibus congruunt, Capus, Pullastri, Hædi, Vituli lactantes, nocet caro suffita atq; immodice salsa, Aestate, Carnes aceto elixe magis quam assę competunt, Hyeme econtra, Oua gallinarum recentia, sorbilia congruunt, Lac uitandum quemadmodum pinguia quęq; insana, Pisces salsi insalubres, quoniam ex sale acuitatem habent, qua humores alterant, Eligantur squamis prediti, albe, fragilis carnis, Saxatiles, fluuiatiles, recẽs capti, Fructus omnes qui corpori putrescibilem succũ pariunt, prorsus damno, quoniam nec illis uescendum ut cibo, qui medicamento sunt, Potus sit uinum album,

uel

uel rubrum, odorum, Quod leuem stipticitatem sapiat, Nimis forte uinum aqua diluatur, duabus uel tribus horis anteq̃ bibatur, si uehemens sitis urgeat, bibendum est, Antea tamen panis aliquot boli conie dantur, qui cohibeant uinum ne subito cerebrum, neruosq; petat. Panis enim si Galeno credimus, uinum coercet, quemadmodum frenũ equũ, Dulce uero uinũ incommodum, eo quod naturalis hepatis uis illud rapit ante coctionem, unde meatuum contingit obstructio, Conuenit cõ similiter lac amigdalatũ tenuis substantię Pariter aqua caponis, et uinum granatorum, aut aqua fontis cũ zuccaro et aceto.

DE INANITIONE, et Repletione. Cap. III.

CVm sanitas moderãtia aliqua sit, necesse est omnẽ immoderantiã, quæ plurimum à modo recessit, morbum esse, uerum hoc esse quottidie experimur, Nã satietas immodica, uentriculi nauseam & subuersionẽ operatur Ebrietas nimia non

modo

modo non in grauissimos morbos (Apoplexias, Conuulsiones & alios) corpus præparat, sed & precipitat, uerum corporis etiam habenda est ratio sorditie ne grauetur, aut egestiones retineantur, unde laboret, quod ubi contigerit, corpus quottidie ab omnibus excrementis, tam quę per aluum, quam quę per sputum eiici dn̄t, alleuiari oportet.

DE MOTV, ET Quiete. Cap. IIII.

CAutum te in capitulo de aeris salubritate conseruanda reddidimus, In primis ut caueas, ne in aere nubiloso, diutius obambules aut quouis modo corpus ad lassitudinē ducas. Quod & te hic monuisse uolumus, Motus uero uirib. cōpar factus mane aere nubiloso per solares radios discusso, calorem innatū confortat, humores putredini aptos exsiccat, uires tum animales, tum uitales, & restituit & firmat, Putrefactionem succorū ꝓhibet,

Corpus

Corpus ſyncerum & quod eſt ſine nota, Conſtantis uirtutis, ueneno minus uincitur, quippe quod bono habitu, & ui conſtanti, infectioni reſiſtere & ueneficã qualitatem excutere, ualet. Quapropter omnibus ſanitatis amatoribus perſuaſum habeo exercitium uiribus æquum, non laborioſum, niſi illo, qui malit æger, quam ſanus degere, Exercitaturi tamen illud animaduertant, nulli niſi mundificato corpore conuenire exercitium quod ubi mundum non fuerit, quieſcendum, atq; prius a noxijs humoribus purgandum, Cibo nuper ſumpto, nulla corporis fatigatio, nulla mentis ſolicitudo, contemplatioue grauis, eſt admittenda, Deambulandum autem pauliſper, ut ingeſtus cibus in ſtomachi fundum deſcendat.

DE SOMNO, ET VIgilia. Cap. V.

QVoniam ĩ omni morbo, Timorat q; mœſtitia longo tempore perſeuerans,

uerans, hominem reddit melancholicum. ſanitatem conſeruare uolenti, mira utilitate cōfert, hilaris tranquillaq; uita, quam conciliare potes, facetijs, cantus ſuauitate, Iucunda hiſtoriarum fabularumq; lectiōe, Concubitu (dico legitimo) Qui cū rarus ſit, uiribus compar, non modo nihil obeſt, immo ſecundam ualetudinem promouet, uires uero excedens aut ſuperans, cerebrum, oculos, neruos, ſtomachum, ſpiritualia, debilitat, Spiritus conſummit, Imbecillis igitur corporis caueant, corpus enim ſiccat, Quapropter, Melancholi, Cholerici, & Senes, uel rariſſime, uel nunq; concumbant.

DE MEDICINIS A ueneſico hoc malo conſeruantibus. C. 6.

INcepturus à Medicinis ueneſico, hoc morbo reſiſtentibus, in manus uenit ueneſectio, Qualis autem uena incidi debeat peſte abſq; abceſſu affligente, ut in febre peſtilētiali, abunde tibi indicabit cap. 5. huius. ij. lib. quod eſt de medendi ratione, quæ

1. ne. Quę quidem febris hiſcę depræhendi-
tur notis. Primum, in febrę peſtilentia-
li interdum ſentitur dolor pungitiuus in-
terna corporis membra afficiens nõnunq̃

Signa febris pestilentialis

2. partes intercutaneas petẽs. Secundũ ma-
gnum incendium, ac magnus feruor, to-
tius corporis, licet etiam aliquando ma-
3. gno frigore ęgrotantem inuadat. Ter-
tium, Dolor capitis. Quartum, Difficul-
4. tas anhelitus. Quintum, ſomnus grauis,
5. qui difficilem habet expergefactionẽ. Sex
6. tum. Vomitus citrinus, felleus. Septimũ,
7. Spontanea laſſitudo ac confractio mem-
8. brorũ cũ defectu cordis, ac ſyncopi. Octa
uum, Vehemens motus ſanguinis, qui in
9. uenarum tunica continetur. Nonũ. Eſt
apoſtema aut ueſica mali coloris, ut puta
nigri, uiridis, aut citrini, Quãuis raro hoc
à principio accidat, Dico iterũ uenã nul-
lam unq̃ eſſe diſſecandã ni alui onera ſint
deiecta, ſi expultrix uis defecerit, ſubue-
niendũ, uel cliſtere, uel balano, Porro ne
in diſſectione uene error contingat, ſequẽ
tia erunt animaduertenda, Pueris trede-
cim annis minoribus, ætate defectis, Mu-

quibus non conveniat sectio venae

lieribus

lieribus grauidis, lethali hoc morbo labo-
rãtibus, cũ piculo uena incidit, Nã illis exi
gua est uis, q̃ p dissectionẽ uene facile tota
euanescit, Illi uero ipsi cõsultius agũt, pesti
ferũ hoc malũ si post aures, aut in ipso capi
te apparuerit, Cucurbitulã ubi in pricipio
nuchę (cute tamen dico prius scalpello
concissa apposuerint, Eodem modo Cu-
curbitulę intra scapulas defixę, id admini-
culi dant, quod communis uena, quã Me
dianam uocant, uel si uolumus cucurbitis
regalis uenę, opem ferre, quę & Basilica di
citur, aut Iecoraria, in Lumbos paulo su-
pra nates coaptentur, Circa genitalia ue-
ro si hoc apparuerit malum, circa genu
ubi maior apparuerit sorex cucurbitu-
lam apponito, Considerato tñ malũ hoc
si in interiori, aut exteriori crure locatũ sit,
secundũ hoc cucurbitulã appone, Quam
uis aliqui dicant, Ventosam debere poni
iuxta apostema ad latitudinem digiti, aut
pollicis in pte ĩferiori. Redeamꝰ ergo mõ
ad reliq̃ remedia nõ mõ educẽtes uitiosos
humores extra uenas, sed reliq̃ corporis cõ
ceptacula tenẽtes, A pillulis igit quas pe-
stilentiales uocant, exordium sumpturus,

Que tali modo conflantur, Recipe Aloes succotrini partes duas, ut. unc. 1. Mirrhe, Croci an. partẽ unã, ut an. unc. s. fiant pillule cũ Vino aromatico, Vsus illarum est, ut hebdomadatĩ bis cũ uino in hyeme aut aqua Acetose in estate sorbeat drachma una aut media, Nullus eñ unq̃, ut à Medicis traditũ est pestilẽti ueneno occubuit qui eas sumpserit, Atq; ne hoc quidẽ obticendũ tempore calido Aloen lauandum esse, Aqua Endiuie, aut Acetose, Rosarũue, Nõ minus cõfert lotio Myrrhe feruoris tẽpore, Quibus si Mastichẽ addideris debito põdere iuuamentũ maximũ inuenies, fiant igit̃ ut sequitur, Recipe Aloes lote, dra. ij. Myrrhe lote, Croci, Mastiches an. dra. 1. fiant pillule cũ Syr. Acetositatis citri, aut de Limonibus, aut Ribes, Alie pillule cõueniẽtes tã sanis quã egris, Rec. Aloes succotrini electi unc. s. Myrrhe, Croci an. dra. ij. Agarici trociscati dra. 1. Reubarbari boni. scru. ij. Mirobalanorũ citrinorũ dra. s. Mastiches scr. i. Specie. Elec. liberantis scru. s. Spice, Cãphore an. gran. vij. Pulueriseñt puluerisanda, & cũ Syr. Acetositatis citri fiat massa pillularũ, et ex

q̃libet drach.un.pillule nouẽ,ſumant̃ heb
domadatī bis tres ꝑ uice, Pillulę alię.Rec.
Myrrhę elec.dra.ij.croci,dictami, Boli ar
meni p̃parati,Corallorꝫ rub.Charabe,Se.
Citri.ſe.Acetoſę,Florũ bugloſſe an.dra.i.
Aloes boni unc.ß.cum Syr.de Citro fiat
maſſa pillularꝫ.Adhuc alię pillule.Recipe
tormẽtillę.zedoarię.an.ſcr.ij. dictãi ſcr.i.
Croci.dra.i.xiloaloes ſcru.i.Berberꝫ dra.
ſ.Cornu cerui uſti ſcr.ij.ſãdalorꝫ rub .ſcr.
i.Corallorꝫ rub.Se.Acetoſę, Boli armeni
an.dra.ſ.ſpecie.Elec.de Gẽmis.dra.ſ. fiat
puluis & cũ Syr.de limonibus fiat maſſa,
de qua oī die ſumat quãtitatẽ fabe Ieiuno
ſtomacho,ſunt p̃ſeruatiuę tẽpe peſtis ſine
ſolutiõe, Puluis de bolo armeno, Recipe
aquę Roſ.unc.xv.uini albi unc.ij.Boli ar
meni dra.ij.Syr.Acetoſitatis citri unc.i.ſ.
ſũmat huius potiõis ꝑ horas q̃tuor añ prã
diũ unc.ij.ſ.Alius,Reci.ſe.citri,ſe. Aceto
ſe,ſe.Plãtaginis añ.dra.ſ.unicorni. ſcru.
i.tormẽtillę,zedoarię,doronici añ.ſcr.ij.
Terrę ſigillatę,Boli armeni añ.dra.ſ.Acci
cipiat qs de illo puluere mane añ cibũ ꝑ ho
ras quatuor dra.ſ.cũ aqua roſarꝫ & mo=

Puluis lauda tissimus.

dico uino, puluis laudatissim⁹, Reci. ligni aloes dra. ſ. cornu cerui ſcr. ij. ſandalorum rub. ſcr. i. tormẽtillę, terrę ſigillatę an. dra. ſ. corallorũ rub. ſcru. ij. ſe. acetoſę, dictami an. ſcr. i. zedoarię dra. ſ. boliarmen dra. iij. gẽmarũ elec. ingredientiũ electuariũ de gẽmis ſine ſpecieb⁹ dra. i. ſ. margaritarũ dra. i. xilobalſami dra. i. cãphorę gra. iiij. puluerisent &c. Hic puluis & pſeruat & liberat, ſi ſumat de eo bis in die añ prãdiũ, & poſt cenã p duas horas dra. i. cũ uino odorifero, & aqua acetoſę, ſimili mõ ex illo puluere põt fieri maſſa, cũ ſyr. de citro p pillulis quarũ uſus ẽ bis in die p duas horas añ prãdiũ & poſt cenam, alius Puluis eiuſdẽ auxilij Rec. gentianę dictami al. Tormẽtillę charabę, boliarmeni an. dra. i. ſandalorum rub. cornu cerui uſti, zedoarię, corallorũ rub. an. dra. ſ. camphorę gra. vij. fiat puluis. Accipiat põdus dra. ij. cũ un. iij. aquę ſcabioſę uel endiuię, cũ uero quis uenefico morbo laborat, addat huic pulueri bonę theriacę quantitatẽ fabę, Puluis mirabilis, Rec. radic tormentillę, Sandalorum rub. dictami al, Cornu cerui uſti Margaritarum

alius puluis

puluis mirabilis.

tarum

tarum, Boliarmeni, Aristologię rotundæ an. dra. i. Camphorę dra. ſ. zuccari al. dra. ij. Ex omnibus fiat puluis ſubtiliſſimus, cum quo iſta miſceantur. Recipe Myrrhę pinpinellę an. unc. i. Smaragdi, terrę ſigillatæ ana, dra. ij. Se. Citri. Croci ana. ſcru. i. Vnicorni, Hyacinthi ana. dra. ſ. fiat puluis. Electuarium de ouo. Recipe ouum recens, acumen eius perforato, Albumē deponito, Albumine depoſito, ouum croco orientali impleto, Deinde foramē exciſis partibus pulmēto ex farina & aqua facto illinito, ouū q; ad carbones ignitos, aut cinerē calidū donec pfecte aſſatū fuerit apponito, aſſatū cū fuerit in puluerē reducito, quē ęquo pondere permiſceas cū puluere Sinapis al. Dictami al. dra. v. Tormentillę, Nucis uomicę, Radicis Angelicę an. dra. & gra. vi. Puluerifentur omnia Demū huic pulueri adde Theriacę bonę, pondus ſupra ſcriptorū omniū, Cuſtodit hoc electuariū ſi de eo accipiatur ſcru. i. oī die, liberat à peſte dra. i. ſi accipiatur in uino, aut aqua acetoſæ, In uino ſi Lethale hoc malū ęgrū frigore acceſſit, ſi calore a

Electuariu de ouo.

Acetosę, Cooperiatur ęger, & sudet horis quatuor aut qnqз. Teneat caput foris, ita tñ ut sudet, nec somno in uiginti quattuor horis capiat, q̃ntũcũqз possibile est, Aliȷ̃ sic faciũt, Reci. se. eruce dra. i. ſ. Dictami, Tormẽtillę, nucis uomicę añ. dra. i. Boli armeni, terrę sigillatę Mirrhę electę añ. scr. i. doronici corticis citri, ossis de corde cerui Corallorũ rub. añ. scr. i. Cinamomi dra. ſ. Cornu cerui usti scru. i. Se. Acetose dra. ſ. xiloaloes scr. i. Rasure eboris Margaritaꝝ añ. scr. i. specie. elec. de gẽmis dra. i. zedoarię dra. ſ. fiat puluis subtillissimus. Reci. ouorꝝ assatorꝝ cũ croco nũero tria, theriace un. vi. ſ. fiat electuariũ, accipiẽdo dra. i. cũ uino uł aq̃ acetose. Præseruatiuũ elctm̃, Reci. boli armeni, terrę sigillatę, tormẽtillę añ. un. ſ. Mirrhe, dictami, pipinelle, zedoarie añ. dra. ȷ̃ȷ. croci, cãphore, auri foliati añ. scr. i. ligni aloes, se. citri. smaragdi añ. dra. i. pulueris unicorni, ambrę, lapidũ preciosorũ ingredientiũ electuariũ de gẽmis sine speciebus añ. scru. i. Margaritaꝝ scru. i. aquę uitę unc. i. Theriacę, mitridati electarum añ. drag. v. fiat cũ Syr. Acetositatis citri in modum electuariȷ̃ sumat de hoc

Alius mod. preparandi electuarium oui.

elctm̃. preseruatiuum.

electuario ante cibum quantitatem caſta
neę, aliud Recipe Diabugloſſati, Diabor
raginis, Zaccari Roſati, Conſerue Nenu
pharis an. unc. ſ. Terrę ſigillatę, Boli arme
ni an. drag. ſ. Tormentillę, Dictami albi,
Pinpinellę an. ſcrup. 1. Margaritarum, Sa
phiri, Hyacinthi, an. ſcrup. ſ. Vnicorni
Cornu cerui uſti an. gran. xv. Pulueriſen
tur & cum Syr. Acetoſitatis citri fiat ele-
ctuarium, ſumatur ut præcedens, Confe-
ctio contra peſtem, tam ſanis quam ęgris
conueniens, Recipe Hyacincti, Granati,
Saphiri an. drag. 1. Sandalorum rub. &
Al. an. ſcrup. 1. Muſci gran. v. Corallorū
rub. & Al. an. ſcru. 1. Spodij, Boli armeni
an. drag. iiij. Terrę ſigillatę drag. 1. Vnicor
ni drag. 1. Foliorum auri & Argenti an.
drag. 1. fiat confectio cum zuc. & aqua
Acetoſe, Item Recipe confectionis libe-
rantis in tabulis, quantum placet, Quam
hiſce conſtare dicunt. Recipe Radicis tor
mentille, Se. Acetoſę, Se. Endiuię, Citri,
Coriādri præperati, an. drag. 1. ſ. Sandalo-
rum omnium an. drag. 1. Boli arm. Terrę
ſigil. an. drag. iij. Margaritarum, Corallo-

Aliud elect.

Confectio contra pestem

confectio liberans.

rum amborum, Charabę, Limaturę ebo-
ris, Spodij, Ossis de corde cerui, Been u-
triusq; Doronici, Cardamomi, Macis, lig
ni aloes an. drag. ſ. Smaragdi, Granati, Se
rici crudi, Camphoræ, Musci, Ambræ,
an. gran. iij. Cinamomi, Croci, Zedoarię,
Cassiæ lig. an. drag. ſ. Zuc. candi, Peni-
diarum an. dragm. iij. Zuc. dissoluti in a-
qua Ros. q. ſ. fiat cōfectio ī rotulis nō mi-
noris laudis, quam quæ grandi uendun-
tur præcio. Recipe luti armeni præparati
scrupulum 1. aut scrupulos ij. dissoluetur
in iusto pondere æqualis perfusionis, ui-
ni albi, & aquæ rosaceæ, Totum epotum
efficacissimum est remedium, Hoc idem
de terra sigillata te meminisse uolo, cum
correctum fuerit, Paucis ut concludam,
Valentissimi remedij erunt, Pinpinellę
& Tormentillæ radices, Tam Acetosæ,
quam Scabiosæ folia, Nec duo illa anti-
dota silentio prætereunda, Theriacæ e-
ni si hyeme cū uino, ęstate uero aqua ace-
tosę drachmā dimidiā sumpseris præsen-
taneum

taneum remedium , Mythridaticum antidotum nihil minus Theriaca operatur , Animaduertendum tamen hæc antidota , mane uacuo stomacho sumenda, atq; horis quinq; aut sex , à cibo abstinendum , quo eius uis omnia corporis membra penetret, Ex collectis uero parui præcij . Recipe. Nucum communium numero. xv. Absinthij Manipulum i. Caricarum numero xv. Ruthæ, Asari , Scabiosæ an. Manipulum i. Aristologiæ longę & Rotundę an. unciā i. s. Tormentillæ, Dictami al. Pinpinellæ, Baccarum lauri an. dragmā ij. s. Foliorum Borraginis, Corticis citri , Galangæ, Ossis de corde cerui, Macis, Mirrhæ, Boliarmeni an. dragmā i. Puluerisentur, Et cum libris tribus mellis despumati incorporentur, Detur in aurora quantitas Lupini . Verum quos necessitas cogit, huiusmodi egros uisitare , aut illis

Medicamentum pauperibus.

assistere,

Pillę ore tenendę

assistere, admonitos uolo optimis præsidijs se muniant, atq; in ore pillulam unam ex sequentibus teneant, Recipe Aliptę muschatę, Gallię muschatę, Boli armeni preperati, an. drag. ſ. Zedoarię, Corticum citri an. scrup. i. Pinpinellę scrup. ij. Mastiches drag. i. fiāt cum Muscilagine Tragaganti in aqua Buglossę facta & parum Aceti minute pillule xij. ex drag. i. Tum presentaneum dicunt remedium, Si quis omni mane granorum iuniperi quindecim, cum duabus nucibus ex aceto commedat, Aut faciat ex nucibus, Grāis iuniperi & rutha partibus equalibus cum aceto electuarium.

SECVNDA LIBRI partitio, quæ est de Medicinis peste præhensis. Cap. I.

SIcut in omni morbo bonam habere uictus rationem, non minimam opem, recuperandę sanitati affere, neminem latet, Ita in hoc acutissimo, uehementissimoq;

moq; morbo non exiguam opem prestat, Aer igitur cubiculi ægrotantis ad frigiditatem & siccitatem declinet, Quemadmodum in capitulo primo presentis libri docuimus, Atq; si fieri potest ægro cubicula duo aut tria parentur, ut cum aer unius pestifero halitu infectus fuerit, in aliud ęger deferatur, si modo uires sufferre possint, De uictu uero ne hoc quidem obticendũ, Et si Medici in acutis morbis tenuissimũ uictum imperent, tamen in hac febre tali uictu ægrum excruciare, nequaq; tutum est, Quamobrem æger frequenter nutriendus est, cibis optimis, qui uim restaurent, Nã hac in febre spiritus infecti sunt, atq; continue resoluuntur, quare illorum ex cibo restitutione indigemus, Inspicere tamen te oportet, & ægri uirtutem, & ægri consuetudinẽ uiuendi, Tum cibi quibus æger fouetur sint boni nutrimenti (ut puta) pulmentum ex hordei, aut hauenę farina, atq; ex amigdalato lacte, aqua hordei extracto, coctum, Largius hęc pulmẽtaria nutriunt, in iure Gallinę, Caponis, aut iusculo hædi decocta, Quam utilissime tamen

me tamen omnia cibaria aceto concoquũ tur, Conuenit etiam pullastros concoque re, deinde coctos contundas, Atq; succum exprimas, quem totum ægro proponas. In immoderato uictu, uẽtriculi magna ti meatur extensio, Etenim una oblatione, pauxillum cibi assumendum, maximeq; studendum, ut singulis diebus uẽter suas superfluitates excernat.

DE POTV. CAP. II.

PEstilenti hac febre laborantib. quam efficacissime, aqua hordei in qua aurum purissimum ignitum extinctũ est, proponitur, maxime si æger cholericꝰ fuerit & iuuenis, aut tempus calidũ. Nec incõmode huic aquæ, succus Berberis, Arãcij, Pomi Citri, aut mali granati, admiscetur, uires uero si decrescant, uinum propinabis, Album, aut Rubrum odorũ, quod stipticitatem leuem sapiat, Meracius si fuerit aqua diluatur, ut diximꝰ primo libro.

De Animi Affectibus. Ca. III.

Pestilenti

PEstilenti febre præhenso, mira utilitate confert, Hilaris, Tranquillaq; uita, Quare ægrotus omni ingenio, ab animi perturbationibus est dehortandus, salua tamen conscientia illud dixisse uolo, Delictorum penitentiam æger (aduersus saluatorem nostrum) ne spernat, uerum tanto magis adhortandus, quanto morbus magis increscit, Sacramenta omnia deuotissime capiat, non minori spe sanitatis nãscifcende, quam optimi antidoti potione.

DE SOMNO ET Vigilia. Cap. IIII.

SI ægrum somnus grauis capiat, abscessu oborto, Non sine magno periculo, Nam somnus ueneficum aerem, secũ ad intima cordis conceptacula rapit, Quare æger uigil tenẽdus, Collocutione, Cantu, Facetijs, & omni ĩdustria, Prima die, qua uena secatur, die, noctuq; insomnis teneatur, in aurora modica concedatur quies, ne ægri uires deficiant, Deinceps Vigilię somno contemperandę, Ita tamen,

ut

ut ęgrum ſemper plus uigilantiorem, quã ſomniculoſiorem teneas.

DE MEDENDI RAtione. Cap. V.

Medicamen è bolo armeno:

IN peſtilentis febris principio, ægro cõteſtim ſequens de bolo armeno propinetur medicamen, Recipe aquæ Roſaceę unc. ij. uini al. odoriferi unc. 1. Boli armeni ſubtiliſſime triti drag. 1. Miſce pro potu, ſi æger hanc potionem non euomuerit, magnum euaſionis ſignum, ſi euomuerit periculũ imminet, Cor ſcilicet ueneno penetratum, ac grauiter leſum, Poſtq̃ euomuerit hanc de bolo armeno potionẽ, os ægri uino lauetur, Denuoq; toties propinetur, quo ſtomachus ipſum retineat, Aluus onera ſi non deiecerit, aut cliſtere, aut ſuppoſitorio, ſubducatur, Morbus ſi ſanguinis uitio acciderit, aut alterius humoris ſanguini ſi permiſtus fuerit, & per uenę ſectionem educi poteſt, utiliſſima eſt uenę ſectio, Mediana incidatur corpore toto languente, Baſilica uero (quæ & Iecoraria

coraria dicitur) ſcilicet dextra inciden-
da eſt in febre peſtilentiali nondum ena-
to apoſtemate, Niſi dolor aliquis pungi-
tiuus latus aliquod moleſtet, Etenim
tunc ex pungenti latere baſilica erit ſe-
canda ſi ab infernis corporis partibus edu
cere intendis, Saphena, cum à ſupernis
membris euacuare uolueris, quam op-
portune diſſecatur. Recta hora reſtrictio
nis ſanguinis ex uirtute habetur, uirtus
enim ſi fuerit conſtans multum ſangui-
nis profluat, Quod ſi mulier uterum ge-
rens, Puer tredecim annis minor, aut de-
crepitus ſenex peſte laboret, Cucurbita-
rum (quas uentoſas dicimus) poſitione
(ut capite de Medicinis à uenefico hoc
malo conſeruantibus docuimus) ſubue-
niendum eſt. Hęc de uenę inciſione prę-
cepta conueniunt, peſte abſq; abceſſu af-
fligente. Verum qualis ſanguinis miſſio
proſit enato apoſtemate, uel Carbunculo,
ſequens caput tractabit, At ſi alij humores
à ſanguine, peſtilens uirus acceperint non
educibiles per inciſionem uenę, illico pur-
gatorijs medicamentis nociuos humores
 excuties,

Epithema

excuties, qđ in arte Medicinali bene insti tuto relinquo Medico, Cor autem sequen ti Epithemate frequenter refocilletur, Recipe aquę Buglossę, Mellissę ana. unc. iiij. Aquę Rosaceę unc. viij. uini albi odoriferi unc. ij. Sandalorum al. & rub. an. unc. ß. Rosarum, Corallorum rub. Corticum citri, Been al. & rub. Serici tincti in grano. Ossis de corde cerui ana. dra. i. Croci, Cinamomi, Gariophilorum, xiloaloes ana. drag. ß. Ambrę scrup. i. fiat epithema, Calor uero si ardentissimus fuerit, tale fiat,

Aliud epit.

Recipe aquę Buglossę, Mellissę endiuię ana. unc. vi. Aque Rosarũ unc. v. Rosarũ Corallorum Corticum citri, ossis de corde cerui, Serici tincti ana. dra. i. Croci, Cinamomi, Gariophilorum, xiloaloes an. scr. i. Camphorę scrup. ij. fiat Epithema, cum panno rarissimo sub mediocri caliditate ponatur supra mammam sinistram. Sacculus ad idem, Recipe Sandalorum al. & rub. an. dra. ij. Florum Buglossę, Borraginis Melissę, an. dra. i. Been. al. & rub. Corticum citri, Sirici tincti, Ossis de corde cerui ana.

Sacculus.

uiana.scru.ij.Croci, Cinamomi, Gario-
philorum, xiloaloes ana. drag.s. Ambrę
scrup.s. fiat puluis, Fiat ex sirico tincto in
grano sacculus, qui puluere supra dicto re
pleatur, & aspergatur aqua Rosacea &
uino, & cordis regioni apponatur, Et sac-
culus quidem ille, Tussientibus, & dif-
ficulter anhelantibus præciosior habetur
Epithematibus, Nec incōmode hic sac-
culus adiici potest capitulo quod de Me-
dicinis à uenefico hoc malo conseruan-
tibus inscripsimus, De aliis confortatiuis
quibus tunc temporis ægro subuenien-
dum modo dictum capitulum te infor-
mabit.

DE ANTHRACE.

CAPVT. VI.

CVm iā natura pestiferū aliquē ab-
scessum in lucē edidit, Antidotum
qđ ī frōte ꝓximi capitis nominauimꝰ siñ

mora propinetur, Post cum opportunitas
mittendi sanguinem adest, Quam in prę
cedentibus abunde declarauimus, uena
absq; mora incidatur, Apostema si post
aures in cerebri emũctorio apparuerit, ce-
phalica inflexu Brachij lateris dolentis
uulneretur, quamuis ea utilitate incida-
tur uena quæ inter pollicem & indicem,
Pestifero abscessu subtus gulam oborto,
post cephalicæ sectionem, uene quæ
sub lingua quam utilissime secantur, Si
uero sub ala apostema eruperit, inflexu
brachij lateris affecti, uena communis si-
ue Mediana uulneretur, Si circa pubem
introrsum lethalæ apostema apparuerit,
ex saphena in crure iuxta interiorem mal-
leolum sanguis mittatur, aut ex ramo eius
inter pollicem pedis & digitum ei proxi-
mum, In extimam cruris partem aposte-
ma si uergat, Ischiatica uena iuxta exte-
riorem malleolum, uel inter minorem &
ei proximum pedis digitum, dissecanda
est ;. Tali uenarum dissectione commode
in principio succurrimus, ubi uero mor-
bus ob dilationem magis inualuerit, ab
inci-

incisione uenę caueas, Cum uero uires & alia inditia admittant, Copiosam facias uene sectionem, A recta tamen uena ne aberres, Porro, pueris tredecim annis minoribus, ætate defectis, Mulieribus grauidis, non competere uenę sectionem (in capitulo de medicinis à uenefico hoc malo conseruant bus) ad unguem tractauimus, uerum illis sytias (hoc est uentosas) apponi, non tantum uolumus sed præcipimus, Misso modo sanguine, adulto homini drag. i. puero uero drag. s. Electuarij de Ouo, in uino aut aqua destillata ut docuimus dabis.

DE EMPLA-
stris.
CAPVT. VII.

IN ue eneficis his apostematibus pręcipue ab emplastris repellendi uim habētibus cauendum. Nam talia uenenum à natura forinsecus expulsum, iterum su-

per membrum principale redire faciunt, Verum operam dare oportet, uti uenenũ omne ab internis, in extimas trahatur partes, ut membra principalia exonerentur, Quod hoc attractiuo, cataplasmate fiet, accipe cepe numero duo, ex cauato ea in capitibus, ad amplitudinẽ auellanę, Theriacaq; ueteri bona impleto, Pulmento ex farina & aqua facto, excisis partibus obturato, ne Therica effluat, in cinere assato, assa contundito, & abscessui impone, sentíes huius Cataplasmatis ineffabilem effectum, Misso prius sanguine, Duo cępe sic assata, succo expsso, pauco aceto addito totũ epotum, sudore prumpente, præsentaneum remedium, Etsi eam medicinã sępius expertus sim, Silentio nec eam prętereundam duxi, Bufo sub dio exsiccetur, et necessitatis tempore, per noctem, seu ad minus per horas sex in aceto lique fiat, Et apostemati applicetur, Nam ab intimis ad extimas partes, omne rapit uenenum, Aliud attractiuum probatissimum, Recipe Diaquilonis unc. ij. Ammoniaci, Galbani ana unc. ß. Incorporentur & fiat emplastrum,

Attractiuũ emplastrum

Potio succi ceparũ.

Medicamentũ ex Bufone

Attractiuũ aliud

plaſtrũ, eo tepide ut reliquis utere. Solẽt nonnulli authores poſt uenę inciſionem, & Antidotorum potionẽ apoſtemati, Hirudines, ſanguiſugas, & Sycias (cute tamen prius ſcalpello inciſa) adhibere, Si uero apoſtemata ſuppuratione indigeãt, Emplaſtrum fac ex farina frumenti, & oleo, In aqua concoque & utere, Quod ſi ſanies appareat, abſceſſum ferro, aut cauſtico aliquo medicamine apperi, Nec magna ſuppuratio exſpectanda, Aperto ulcere, pus omne expurgandum, emplaſtro ex ſarcocolla & melle æquo pondere miſtis, Demum ut reliqua ulcera conſolidandum. Cicatrices de formes ſi relinquuntur, eas oleo uitellorum ouorum, Balſamo, uel humiditate ex pedibus ouiũ aſſis effluxa inunge.

Hirudines

Suppuratiua

TERTIÆ OPVSCV- LI SECTIO.

DE ACCIDENTI- bus pestilentis febris.

CAPVT. I.

EGri uires si deficiant, Manus, Brachia, Pedes, sale & aceto, uehemẽter fricato, atq; uinculis constringito, Nares atq; aures cõprimito, Hęc omnia si nõ cõducant, Pennã acerrimo aceto intinctam in nares ponito, omnia dolorẽ facientia in eo exerceto, Faciem aqua Rosacea, in qua parum, uel Gariophilorũ, Nucis muschatę, Macis, Camphorę, aut Musci dissolutum est, aspergito, pilam odorã quam in antecedentibus capitibus reperies, animo deficienti adhibeto, pręterea æger debilis; cibis optimi succi refocillãdus, ut puta, aqua Caponis, ac mica panis, uino optimo immersa, Accedunt ad hoc, Confectiones, ac Misturę, paulo ante descriptę.

Alui

ALVI DVRAE remedia.

CAPVT. II.

SI æger astricta aluo laboret, eam molliat, duabus uncijs Mane, aut uncia una Cassiæ fistulę, Nonnunquam supposito rio etiam utatur, Stercora aliquando consimili clistere eijciat. Reci. Maluę, Bismal uę, Brancę Vrsinę, Blitis, Matrum uiolarum an. Mani. 1. Hordei unc. ij. Decoquantur, Decoctionis expressę & colatę. Reci. unc. xij. Plus, aut minus secundum corporis crassitiem, In quibus dissolue Cassiæ fistulę nouiter extractę unc. 1. Pulueris zaccari rubei unc. 1. Butiri recentis drag. iij. uitellum oui unius, Ol. Violacei unc. iij. Salis panis contusi drag. 1. fiat Enema.

DE FASTIDIO CIBI.

CAPVT. III.

CVm uentriculus cibum fugit, æger acidis & quibuslibet gratis cibis refi ciatur, ne uires decrescant, stomacho tale emplastrum horis duabus ante commesti onem apponatur. Recipe. Succi citonio- rũ, Ol. Rosatian. unc. i. s. Pul. Absinthij scrup. iiij. Lingni aloes dra. s. Ceræ unc. s. Conterantur & fiat emplastrum.

IMMODICE SITIS remedia. Caput. IIII.

SI ardens sitis ægrum excruciat, aer cu- biculi ad frigidum alteretur, si sit cali- dus. Caput eius oleis frigidis inungatur, potus eius sit aqua hordei, se sola, uel per- mista cum aceto, aut Iulep uiolato, Os quoq; frequenter lauet, aqua frigidissima aceto perfusa, Nec minus conducet, fru- ctus acetosos, ut puta, Thamarindos, Pru na, aliquandiu in ore tenere, uel Zaccarũ Candi, Violaceum, Rosaceum, & Cry- stallũ, qui ut nihil suprasitim exstinguit, Ex compositis si quid accipere placet, pa- tiens unam exsequentibus pillulis ore te- neat,

neat, atq; diſſolutam tranſglutiat. Reci. Liquiritię drag. ij. Se. Cucumeris domeſtici drag. iij. Se. portulacę drag. i. Conterantur, Et cum albumine ouorum recentium fiant pillulę, admodum lupini.

DE SOMNO GRAVI.

CAPVT. V.

SOlet nonnunquam febrientes hac febre ſomnus profundus moleſtare, Fricabis itaq; illorum brachia, & pedes, uinculiſq; conſtringito, Suppoſitoria acuta ſupponenda, Enemata fortia inijtienda, Sternutationes mouendę, Acetum acre odorandum.


DE SVPERFLVIS Vigilijs. Caput. VI.


SI æger immodicis uigilijs capiat, hoc ſomnifero unguēto, ſubtus nares, et in manibus,

manibus, atq; circum tempora inungatur. Recipe. unguenti populeonis unc. ſ. Ol. uiolacei, de papauere an. dragma. iij. Opij gran. >. Croci, Caſſiæ ligneæ an. grana. 4. fiat linimentum, Hoc ſomniferum unguentum ubi nihil contulit, ad ſtupefactiua condeſcendum, atq; hæc non niſi prudentis Medici conſilio applicanda.


Finiunt tuta aduerſus pæſtem remedia.


INGOLSTADII IN OFFIcina Alexandri Vueiſſenhorn.








CVM GRATIA
& priuilegio Cæsa.
Mayestat.










30-